


Sigillum Aereum
ALESINAE
e Marchionibus Montis-Ferrati

HIER. FRANC. ZANETTIVS

nunc primum protulit
Notiſque inluſtravit.

Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος ἀλλ' εἶναι θέλει.
Aeſch. Sept. ad Theb. v. 598.

MDCCLI.



ANTONIUS DE CASTRO
Excudebat Venetiis.
SUPERIORUM PERMISSU.

BONO. LITTERARVM. GENIO.

BARTHOLOMAEI.

VETTVRI. HIER. F.

PATRITI. VENETI. XLVIRI.

QUOD. OPTIMAS. LITTERAS.

ET.VENERANDAM. ANTIQVITATEM.

EXEMPLO. CONSILIO. OPIBVS.

FOVEAT. COLAT. TVEATVR.

PATRONO. NOBILISSIMO.

HIER.FRANCISC. ZANETTIVS. ALEX.F.

MEMORIAM. CONSTITVIT.





Τότε καὶ ῥόδων ἀγητῶν
Νέον ἔρνος ἤνθισε χθὼν;
Πολιδαίδαλον λόχευμα.

Anacr. Od. νγʹ



SIGILLUM quod nunc primum e scriniolo nostro prodire iubemus, optimo Corinthio aere conflatum est; neque prorsus ineruditâ manu diaglyptico opere exscalptum, quantum miseranda bonarum artium clades, tenebricosis temporibus per Italiae fines late pervagata ferebat. Eadem est archetypi magnitudo ac in Tabulâ qua perdiligenter aere caelandum curavimus; crassitudo non modica; pondus non leve. Mercatus sum ego, neque parvo pretio, a tetrico quodam, stolidoque propolâ, cui in animo insederat a Bizantina obsidione Venetias pretiosissimum, ut aiebat, Amuletum adlatum fuisse, eoque (Superos interim & Acheronta obtestabatur) venerandam Deiparae Virginis imaginem repraesentari. Ridebam ego miserum homuncionem, iamque de rei veritate inquirere, pervestigando diligentissime coeperam. Sed quum epigraphem non sine labore, utpote quae inversis characteribus legi debuerat perlustrassem, suspicio statim suboriebatur haec Sigilli nostri fata fuisse.

Leopoldi Caesaris irâ, saeculo ineunte XVIII, patriis sedibus, fortunisque pulsus Venetias se se recepit Carolus IV Gonzaga Mantuae Dux. Ditissimam suppellectilem secum advexit nobilissimus Princeps. Sed haud multo post, iam desperatis rebus, eoque Patavii infelicissime extincto, quaecumque secum advexerat, discerpta sunt, pretioque subinde a rerum harum amatoribus comparata, usque in hunc diem inter Italorum, exterorumque procerum Cimelia frequenter indicari subaudias. Insigne olim Mantuanis Ducibus fuisse Museum, praedivitem Dactyliothecam, tabularia antiquis referta voluminibus, codices, signa, numos, aliaque huiusmodi pene innumera iam sciunt viri docti. Iis insuper Mon-

A tis-

tisferrati ditionem sanguinis nexu adquisitam diu pertinuisse neminem latere potest. Quamobrem facile adducebar ut crederem, inde nobis

Post varios casus, post tot discrimina rerum,

Sigillum tandem adlatum. Ita coniiciebam.

Sed utcumque se res habuerit, vix mihi habuisse contigerat quum iam de eo evulgando reputabam. Volentem nonnulla a proposito deterrebant. Quis enim sim ego, quaeve operis esset difficultas, probe iam noveram. Haerebam. Vicit tandem Antiquitatis studium, & ne Sigillum in fibulas & capulos igne conversum (quod temporibus nostris cum Gothicis & Vandalicis in hoc facile comparandis, plerumque solet) Eruditorum oculis perpetuo subduceretur, haec raptim adnotata, litteris commendare decrevi.

Paucis quoad potero, rem absolvendam curabo. Eos etenim imitari vereor qui inutilem quandam exoticae eruditionis pompam, admotis, ut ita dicam, bobus & equis in medium trahunt, & longe a propositâ metâ aberrantes *suffarcinamictas*, ut olim Scaliger iocando dixerat, disceptationes edunt, quae aeternâ prolixitate, ac barbarissimis innumerabilium prope Scriptorum nominibus, fastidii multum, utilitatis nihil ferme adferant, taedioque legentes dire enecando conficiant.

§. II.

DUAS libellus noster complectitur partes. Alterâ de litteris, alterâ de rebus, quae in Sigillo occurrunt, expedite agemus. Hoc unum praemitto, utpote scitu pernecessarium, Sigillum XIV ineunte saeculo vel paulo ante exscalptum mihi videri; hoc ex dicendis dilucide demonstrari ratus. Num bene, viderint ii qui legent. Interim siquis plura de Sigillis

gillis generatim querat Cl.Cl. Virorum lucubrationes consulat; *Papebrokii* nempe, *Hikesii*, *Germonii*, *Heineccii*, *Muratorii*, (1) aliorumque. Ii rerum harum auspices, praecipuique duces. *Ne noctuas Athenas portare videar*, ego nil addam. Ad rem igitur.

Sigilli epigraphen ita lego:

Sigillum ALESINE. FILIE. MARCHIONIS MONTISFERRATI: VXORIS NEAPOLEONIS DE FILIIS VRSI.

Litterarum forma, aspectus & compendia Aevo quo exscalpta fuere apprime respondent. Corruptionis indicia manifeste deprehendas quae ab Ann. circiter MCCXL in Codices, Marmora, & Numos sensim irrepserat. Equidem iis temporibus nondum phaleratae, & ut ita dicam cirratae litterae erant, neque sive rectis sive retortis lineolis ita obductae ut postmodum, saeculis nempe XIV & XV, pingi & caelari consuevere. Attamen & initio XIV iam iam earum forma immutari coeperat, ut in Sigillo nostro litteram N a P: M ab O P; H ab N, aegerrime dignoscas. Ex quo subinde factum est ut additis & multiplicatis in diem cirris & phaleris, ita paullo post litterarum species, barbaro opprimente ornatu, corrupta fuerit ut siquas lapidibus exscalptas, Numisque cusas eo tempore, offendas, vix eas

(1) Adde Cl. *Mannium*, & *Mannio Glaseyum*, qui Lipsiae specimen Sigillorum erudito satis commentario inlustratum nuper in lucem protulit. Sigilla quae possidet Cl. Vir olim ab percelebri Patavino Eq. *Ursato* collecta testatur in Praefat.

eas latinas existimes (*). Hinc ea scripturae ratio cui, etsi perperam, immo iratâ veritate, *Gothicae*, *seu Langobardicae* apud nos impositum nomen. Huius insigne sed perbreve exemplum veluti per excursum profero, ut inde intelligas quo iam Anno MCCCCXXXIII apud nos perducta res esset. Lapis (1) exstat Venetiis in atrio Coenobii D.D. Ioannis & Paulli, a Templo Pacis non procul.

§. III.

SED quum ego vergente iam saeculo XII consignare videar huius depravationis Epocham, nolim crederes me adeo hisce in rebus tyronem ut Romanarum litterarum formam remotioribus saeculis iamdiu immutatam nescirem: quod & Imperatorii sequioris Aevi, & Gothorum Regum, Summorumque Pontificum Numi & alia poene innumera documenta testantur. Immo pro rei veritate, libenter addam, si velis, hoc iam fieri coeptum dum adhuc Romana res staret. Heic autem animadvertendum: saeculis Duodecimum praecedentibus litterarum species tantummodo corrupta ac plus minusve depravata; post Duodecimum non tantum depravata ac corrupta, sed congestis lineis, & circulis, ita deformata, implexa, & fere in integrum immutata, ut pulsa plane veteri simplicitate & elegan-

(*) De hisce litterarum immutationibus consule Cl. *Brunatium* De re Num. Patavin. p. 82. ubi plura pro more suo diserte aeque ac expedire adnotat.

(1) Cenotaphium *Francisci de Flore* (Francesco Flore, *seu* del Fiore) qui sub initium XV saeculi inter primos Artis Pictoriae instauratores post *Antonellum* Messanensem, Venetiis habebatur. Huius filius fuit percelebris *Iacobellus*, qui parentis famam penicillo aequavit, immo & maiorem adeptus est. Vide *Ridolphium* Vit. Pictor. Venet. T. 1. p. 12.

gantiâ, vix Romanis liceat adcensere. Hoc de Lapidibus, Numisque teneas. De (2) Diplomatibus non itidem. In iis etenim, (3) quamquam VI ac VII saeculo exaratis, litteras (etsi longe aliâ ratione) caudatas, barbatas, & veluti de Cometis Philosophi aiunt, crinitas videas, longissimisque calami ductibus miserrime implexas & obligatas. Sed nimis iam me evagatum fateor. In viam redeo.

§. IV.

PERLECTA epigraphe leve admodum mihi fuit opus ut Sigillum cui iure adtinebat, adsignarem. Quaenam, quibusve parentibns genita ALESINA exstiterit (3) *Samuel Guichenonius* levi labore indicavit. Eam scriptor Insuber *Alix* vocat, aitque filiam Guilelmo VII Marchioni Montis-Ferrati, qui Anno MCCLXXXXII extinctus est. Bis *Guilelmus* connubio iunctus, primum *Elisabeth Ricardi* Glocestriae Ducis filiae, e qua foeminam tantum susceptit, cui *Margaretae* nomen. Secundo *Beatrici* Alphonsi Castellae Regis natae, e qua masculum, binasque foeminas. Puero *Ioannis* nomen impositum. Is patrem in ditione excepit, & Anno MCCCV su-

(2) Vide Mabillon. de Re Dipl. Lib. V. pag. 437. 477. & Suppl. 68.

(3) Huius & subsequentium saeculorum *palaeographiae* specimina nobis exhibentur in Diplomatibus Aegyptiaco cortice, vulgo *Papyro*, exaratis eo praesertim antiquae Scripturae genere, quod *corsivo antico* apud nos adpellari consuevit.

(3) Histoire Genealogique de la Maison de *Savoye* p. 1154. Tab. VII.

fupremum diem obiit. Foeminis (1) *Jolandae*, & *ALIX* nomina data funt. *Jolanda Andronico* Cpolitano Imperatori nupfit. *Alix*, feu mavis *Alefina*, *Ponce Urfino* (4) Romano Patritio. Huic Sigillum cenfeo. Sed ut magis res inclarefcat, Tabellam addo e Guichenonio depromptam

Bonifacius IV Marchio Montis-Ferrati Gigas (*le Geant*) adpellatus.

I. *Margareta* e Sabaudia.

Guilelmus VII Magnus (*le Grand*) Mar. M. Ferr. Ann. 1292 extinctus.

I. *Elifabeth* (*Ifabella*) filia Ricardi *Glocefiriae*, Imperatoris Ann. 1257.

II. *Beatrix* Alphonfi Caftellae Regis filia Ann. 1271.


Margareta Joannes *de la Cerda*.	(5) *II. Iolanda* Andronicus Palaeologus Imp. Cpolitanus.	*II. Ioannes* Mar. M. Ferr. Juftus (*le Jufte*) Ann. 1305.	II. ALIX Ponce Vrfinus patritius Romanus.

En

(4) Johann. de Muffis in Chron. Placent. de filiabus Guilelmi contra Hiftoriae fidem haec habet: *Bonifacius genuit Guilielmum Marchionem qui anno Chrifti* 1290. *--dominatus magnifice in Lombardia --- reliquit filium unum nomine Iohannem, & filias tres, quarum una fuit uxor Andronici Imperatoris Graecorum. Alia fuit uxor Regis Angliae. Tertia fuit uxor Domini* Urfi de Urfinis de Roma. Rer. It. T. XVI p. 589.

(5) Eam Sanfovinus *Iordanam* adpellat. Orig. Fam. Illuftr. d'Ital. p. 22.

FERT P̂SCVLPTA VIRVM
Fert persculpta virum
MAGNE VĨRTVTIS YMAGO
magne virtutis imago
VRBE SATV̄ VENETA·DE
Vrbe satum Veneta. de-
DIT ARS PICTOĨA SVMVꝫ
dit ars pictoria summum.
FR̄ACISCV̄ DE FLORE
Franciscum de Flore
VOCĀT·PATREꝫ IACOBEL
vocant. patrem Iacobel-
LI·HVIꝰ ET VXOĨS LVCIE
li. Huius et uxoris Lucie
M̄EBRA QVIESCVNT/HIC
membra quiescunt. Hic
EXTREMA SVOS HERE
extrema suos Here-
DES FATA RECODĒT·
des fata recondent.
MCCCCXXXIII DIE XXI IVLII
M C C C C X X X I I I. Die. X X I Iulii.



En quantum Guichenonii dictis fidei augeatur, eiusque verba, Sigilli nostri ope, quum certiora tum clariora evadant. Certiora aio, quum praeter fidem suam, nullum ille argumentum adtulerit quo evinceret *Alesinam*, seu *Alix* inter Marchionum Montis-Ferrati gentem iure cooptatam. Rursus, clariora; nam quam ipse Gallice *Alix* adpellat, *Alesinam* latine adpellatam deprehendimus, & exinde singularis nominis ἔτυμον & origo nobis dilucide adparent.

§. V.

PORRO mihi novum hoc, barbarumque nomen adcurae perpendenti, duo se se observanda obtulêre. Primum ex insuetis ac peregrinis Italiam (barbara merces) advectis, arbitratus sum. Suspicio exinde mihi erat hoc in eorum numerum reiici oportere, quae ab imperitâ plebe mutilari saepius, inverti, miserumque in modum veluti martyrio quodam confici solebant. Nostris aeque ac barbarioribus saeculis id ubique factum nemo iam nesciat. *Stin* e Stephano, *Stae* ex Eustachio, *Marcuola* (perbelle dictum) ex Hermagora, *Trovaso* ex Gervasio, & Protasio fecere Veneti. Neque clementius a ceteris Italiae incolis cum nominibus actum. Exemplis abstineo; sua satis cuique innotuerunt. Verum re diligentius perspectâ, tuto adfirmari posse arbitror *Alesinae* nomen iure his aeque ac illis accenseri. Ab illis originem duxit, cum istis martyrio adfectum est. Credideram primo intuitu *Alesinam* ex *Agnete* forte fluxisse. *Agnellum*, & *Agnellam* itidem in veteribus chartis non raro invenias. Et hoc non admodum displicebat. Sed quum animadverterem a Guichenonio *Alix* adpellatam quae latine in Sigillo *Alesina* est, rem totam ex se corruentem cognovi.

Quid

Quid enim *Alix* cum Agnete, seu Agnella? Ab *Alphonsina* quoque *Alesinam* effingi potuisse dubitabam, quippe quae *Alphonsum* Castellae Regem patrem habuerat. Perpendere etiam placuit num ab *Aloysio* (barbaro aevo Gallice *Loeys*) *Loysae* primum, inde *Loysinae* & *Alesinae* nomen efformatum. Sed exemplis destituebar omnino.

Haec haerendo mente volvebam. Memini tandem mihi iamdiu observatum quonam pacto rudioribus saeculis Virorum principum nomina, ceterum Italis nova & peregrina, contraxerit, produxerit, mirumque in modum immutaverit usus. Vades habeo veteres chartas. *Luderus*, *Leudo*, *Leuterius*, *Lautherius* unum sunt cum Lothario, seu Hlothario. *Hetzel*, & *Hertzel* idem est ac Heinricus, *Gothelo* Godefridus est, *Cuniza* Cunegundis, *Chuno* Conradus. Ex hoc mihi felici coniectura progredi licuit ut *Alesinae* nomen ex *Adelaide* confictum deprehenderem. Ex Adelaide *Adaleitam*, *Atelam*, *Adelam*, *Adeligiam*, *Adelegidam*, *Adalasiam*, *Athalasiam*, *Aldam* denique provenisse monuit Cl. Muratorius. (6) Addo ego ex antiquis codicibus *Adelheidam*, & *Eleidam*. Cur non item credendum ex (7) *Adalasia* seu *Athalasia*, diminu-

(6) Ant. Med. Aev. Tom. III. pagg. 734. 746.

(7) *Adelasiam* e Marchionibus Segusii saecul. IX floruisse memorat Muratorius. Ant. Med. Æv. T. II pag. 412. & apud Augustinum ab Ecclesia in opere, cui titulus *Corona Reale di Savoja* plures *Alisiae*, *Alasiae*, *Adalasiae*, *Alesiae*, *Adelaides* inter principes foeminas Pedemontii, Sabaudiae, & *Montis-Ferrati* passim occurrunt. De *Alesina* insuper Bonifacii IV March. Montis-Ferrati filia ann. 1253. supremis tabulis *a patre filio Guilelmo substituta dummodo eo moriente innupta inveniretur*, mentio habetur, adlatis veteribus documentis, apud Ant. Fabrum in Consult. de Montis. Ferrari Ducat. Lugduni edit. 1617. p. 7. Rursus idem Faber p. 8. *Alaxinam* memorat Bonifacii III filiam, inde uxorem Manfredi March. de Salutiis ad ann. 1202. Ex his colligas praenobilem familiam nomen hoc utpote gentilitium usurpasse. Vide insuper si lubet Benvenutum a Santo Georgio in Hist. March. Montis-Ferrati inter Script. Rer. Italicar.

nutivum *Alesinam*, & *Alix*, contractione quadam, seu mavis syncope, nobis manasse? Hanc mihi prae ceteris arridere palam fateor sententiam, eamque tueri non vereor. Nonnullis tamen res adhuc in ambiguo est. Etenim, aiunt, in tantâ immo prope infinitâ nominum novitate, Gothicis primum & Vandalicis, Longobardis, postea Francis, Germanicisque gentibus Italiam advectis, satis demonstrari non potest *Alix*, *seu Alesinae* nomen in eorum numero haud exstitisse, quae pro Nationum illarum ingenio sive casu, sive maiorum more identidem barbara tempestate procudebantur. Attamen nil hisce moveor.

§. VI.

HIS ita praemissis, nunc paucis inquirendum quo tempore nobilis mulier *Ursino* nupserit ut inde pateat inspicientibus cur ineunte saeculo XIV Sigilli adlati Epocham consignaverim. Anno MCCLXXXXII Guilelmum VII Montis-Ferrati Marchionem *Alesinae* patrem obiisse indicat Guichenonius. (8) Ioannem fratrem Ann. MCCCV; si fides Tabulae ex eodem Guichenonio relatae, minor natu ceterorum omnium Guilelmi filiorum *Alesina* fuit. Ultimo eam statuit loco. Hanc ergo, nuptâ iam Andronico Caesari Iolandâ, Ursino nupsisse credendum. Sed Andronicus Anno tantum MCCCXXVIII (patruo item Andronico per vim eiecto) Imperium adeptus est. Hinc Iolandae nuptiae

(8) L. c.

ptiae in hunc annum, ni forte postea reiiciendae. Ac proinde *Alesinae* cum Ursino connubium, eo iam exacto celebratum. Sigillum ergo quo Ursini, & *Alesinae* nomina complectuntur post Ann. MCCCXXVIII exsculptum non ambigas. Attamen veluti certissima, omnique dubitatione carentia me isthaec obtrudere legentibus cave ne credas. Fieri enim poterat ut *Alesina*, utpote inter Guilelmi sobolem non minor natu (quod nimirum haud probe constat) Iolandae nuptias anteverterit; & priusquam illa Graeco Caesari, haec Romano patritio ducenda mitteretur. Quod etsi raro, interdum tamen apud principes Viros, fieri consuevit. Rursus, fieri simul poterat Palaeologum ante usurpatam dignitatem Iolandae fidem connubio pepigisse; ideoque has nuptias ante Ann. MCCCXXVIII esse consignandas.

At his immorari nihil est, quum ad rei summam ea minutatim expendere supervacaneum videatur. Ex dictis enim nobilissimae Matronae aetatem levi labore dignoscas, nec temere Sigillum circa XIV saeculi exordia indubie iam teneas effictum.

§. VII.


HACTENUS de' Uxore. Nunc ad Virum vertenda est oratio, ut quisnam & ille fuerit quibusve parentibus ortus, legentibus, quoad fieri poterit, proferatur.

Equidem opus perdifficile aggredior, Monumentorum inopiâ summam difficultatem augente. Accedunt Historicorum incuriosa scribendi ratio & contradictiones, quibus res ceterum obscura, tenebrosior

ſior evadat . Plures ὁμώνυμοι ex ampliſſima Vrſinorum gente *Neapoleonis* nomine inſignes recenſet (9) Fr. Sanſovinus, credulus ſcriptor, ac veterum monumentorum neſcio an ignaviâ an difficultate apprime ignarus. Pauca vixque nulla profert, & ſi quae interdum, Procuſtem imitari iam bene norunt antiquitatis cultores. Is inclytae Vrſinae gentis texuit Hiſtoriam. Tabulas inſuper Genealogicas addidit. Sed parciſſime; & nullis prope uſus chronologicis notis, rem egit praeclare. Is inquam, plures enumerat Neapoleones. Ex iis unum ſeligam, qui temporum inſpectâ ratione propior *Aleſinae* noſtrae videri poteſt. Eum hoc pacto Sanſovinus conlocat (10).

(9) *Degli Uomini Illuſtr. di Caſa Orſina*. Lib. II. p. 17. Cardinalem nobiliſſimum ex Vrſina gente, *Neapoleonem* adpellatum memorat *Ptolemaeus Lucenſis*, eumque floruiſſe ann. MCCCVI teſtatur. Vid. Rer. Italic. T. XI. pagg. 1225. 1231. Huius Sigillum penes Cl. Brunatium vidi rubra cera impreſſum, in quo legebatur S. NEAPOLEONIS: SCI. ADRIANI. DIAC: CARDINALIS. cui ſimillimum inſuper Auctor. Ephemerid. Florentinar. ann. 1747. (editâ eiuſdem Brunatii Epiſtola ad eruditiſſimum *Lamium*) protulerunt. Exſtat Patavii in Arch. Canonic.

(10) Hiſt. di Caſa Orſina. Lib. I. p. 10.



Tabulae huic etſi e coenoſis Sanſovini fontibus emerſae, aliquam tamen fidem adhiberi poſſe vix dubito. Eam cum ceteris quas Hiſtoriae ſuae adtexuit, acceperat ab Vrſinis Comitibus *Petiliani* (di Pitigliano) ſibi coaevis (11); Teſtimoniis inſuper Tabularii *Bracianenſis* (di Bracciano), & cuiuſdam *Petri Guidonis* (12) *Lombardi* in Diario de *Geſtis Pontificum* co firmatam . Ceterum plura mihi in dicio ſunt ut hunc potius quam alium quempiam *Neapoleonem Aleſinam* habuiſſe credam uxorem. Sed haec in primis. Eum Vrſo patre genitum in Tabula legas; *de filiis* itidem *Vrſi* in Sigillo. Nullum praeterea ex Vrſinis invenias cui nomen ſimul *Neapoleonis* & patrem Urſum ea aetate habuiſſe contigerit. Rurſus Nicolao III Summo Pontifici , Iordanoque Cardinali arctiſſimo ſanguinis vinculo iunctum *Neapoleonem* vides. Hoc, ni fallor, in cauſſa fuit

(11) Degli Uom. Ill. p. 1.

(12) *Bernardum Guidonis*, qui Vitas Pontificum conſcripſit, innui a Sanſovino ſub *Guidonis Lombardi* nomine forte credideram. Sed dahis apud *Bernardum*, nihil prorſus Exſtat T. III. Rer. Italic. p. I.

fuit cur foeminam nobilissimam, regali stirpe, nulliusque ditioni obnoxiâ, procreatam, adsequi Vrsino licuerit. Narrat insuper praelaudatus (13) Sansovinus *Neapoleonem* quemdam ex Vrsinis, palatium olim (quo loco quis dicat?) exstruxisse, quo Philippum (adde VI) Caroli (IV) Valesii Galliarum Regis filium in Palaestinam Religionis caussa abeuntem, exciperet. *D. Andreae* palatio nomen impositum. At Philippus post Carolum patrem regnare coeperat Ann. MCCCXXVIII. Viden ut tempora concinne concurrant? Initio saeculi XIV florebat scilicet *Alesina* uxor.

§. VIII.

ATTAMEN heic, ne fraudem Lectoribus meis facere videar, nefas duxerim dissimulare, ab Anno MCL, quo in vivis erat Matthaeus *Neapoleonis* Avus ad Annum MCCCXXVIII *Neapoleoni* adsignatum longius intercedere temporis intervallum quam quod oporteat. Neque haec tueri volenti auxilio esse posset si Matthaeo longissimum vitae curriculum tribueretur, itemque quantumvis πολυετῆ Vrsum eius filium diceremus. Adhuc enim redundat annorum series. Et ni Vrsum inter & *Neapoleonem* alium constituas Vrso filium, ac eidem *Neapoleoni* patrem, nihil est quod ultra caliginosae rei lucem adferre coneris. Nam quo unquam pacto fieri potuit ut Nicolaus III (si Sansovino fides) *Neapoleonis* frater Anno MCCLXXX iuxta Bernardum Guidonis, Amalricum Augerium, Ptolemaeum Lucensem, aliosque, repente, iam senex occubuerit, ille vero post Ann. MCCCXXVIII

 adhuc

(13) L. c. p. 20.


adhuc non solum in vivis esset, immo laboribus aptâ, minusve ad senium vergente aetate viresceret? Igitur si mihi iudicium proferre liceat, adfirmare non verear quempiam ex Vrsinis Vrsum nomine vel Sansovino vel iis qui primum propositam congessère Tabulam, excidisse, similitudine nominum fortasse deceptis. Veteribus inlustris Familiae chartis lis e vestigio dirimi facile potuisset. Sed de iis quem perconteris? Insulsum interim Sansovini caput quod eas forte blattis & muribus aeterne abolendas permiserit, diris omnibus devove.

Hucusque scribendo perveneram, quum mihi Romanorum Pontificum vitas e Mss. Codd. a Muratorio erutas, typisque evulgatas (14) assidue volventi si inde aliquod luminis radium in tanta rerum caligine, adfulsisset, forte fortuna incidi in vitam Nicolai III ab Anonymo quodam pene coaevo conscriptam, & e Mss. percelebris Ambrosianae Biblioth. excerptam. Haec ibi (15): *Viterbienses tunc* (Nicolao III iam vitâ functo) *Dominum Vrsum nepotem ipsius Papae ab officio Potestariae amoverunt* ——————— *& post hoc in obsidione Castri Valeriani existentes a Domino Bertoldo fratre Domini Vrsi cum adiutorio Tudertinorum fuerunt imbecilles debellati*. His diserte monemur *Vrsum* & *Bertoldum* Nepotes Nicolao Papae fuisse, ac proinde non fratrem Pontificis *Neapoleonem* sed pronepotem (si Vrso huic filium censeas) exstitisse. Ita res melius haberet, & proinde hoc pacto restituenda Tabula foret.

Mat-

(14) Rer. Italic. T. III. p. 1. & 2.

(15) ibid. p. 606.



At si verum fatear non levis adhuc mihi superest difficultas, neque satis video in quam partem vergendum.

§. IX.

AGE vero si ambagibus hisce in malam crucem abire iussis, aliqua de *Neapoleone*, qui saeculo XIV ineunte, praepotens plurimisque honoribus


auctus Romae florebat ; e synchronis probatisque Scriptoribus liceat expiscari.

Quae fuerit tunc temporis Romana Respublica quove pacto Romanis Pontificibus gravissimâ Christiani Orbis iacturâ Avenione degentibus , se se pene in integrum subduxisset, abunde monemur Historiis. Id in caussa fuit cur Romanis proceribus in diem elatis, opibusque ac ditionibus potitis, quasdam, ut ita dicam, priscae libertatis scintillas Senatus Populusque Romanus, Pontifice a gubernaculis pene deiecto, iterum atque iterum excitare conarentur. Vrsini & Columnenses inter praecipuos habiti. Summa utrisque potentia , nullique ferme obnoxia libertas. Hi Senatui Populoque, illi Pontificibus favisse traditum. (17) Huiusce rei insigne testimonium proferre iuvat, ex quo bene multa *Neapoleoni* nostro illustrando colligas. Ea e fragmentis Anonymi (16) cuiusdam Scriptoris *Neapoleoni* coaevi, excerpta sunt , qui Romanam Historiam Ann. MCCXXVII litteris consignaverat. Maternâ utitur dialecto. Eam quam *Romanesco* Itali dixere; *Petrus Hercules Gherardius* quem probitate, doctrinâ, & eruditione Muratorium alterum iure dicas, latine interpretatus est.

de

(16) Ant. Med. Aev. T. III. p. 252.

(17) Nonnullos tamen ex Vrsina gente aliquando Pontificum partibus adversatos, produnt Litterae *Benedicti* XII Pont. Maxim. ann. 1339. *Avinioni* datae in quibus legitur---*nonnulli Cives* (Romani) *concitato tumultu populi* . *nobiles Viros* Stephanum de Columna Militem, & Iordanum de filiis Vrsi *de Vrbe, Rectores, in nostri non modicam derogationem honoris facere praesumpserunt* — Vide opus egregium, cui titulus, *Codice Diplomatico del Sacro Militar Ordine Gerosolimitano* T. II. p. 84. Hoc me pro singulari sua humanitate donatum voluit Excellentissimus Vir Fr. *Marius Cevoli* Florentinus Eques dum apud Serenissimam Venetorum Rempublicam Sacri Hierosolymitani Ordinis, Exceptoris munere fungeretur.



—de la Gavalaria di Missore Steffano de la Colonna e Missore Napolione de li Orzini.

Anche comenzo io da lo tiempo che quessi due Baroni fuoro fatti Cavalieri per lo puopolo de Roma vagniati de acqua rosata per li ventotto boni homeni in Santa Maria dell'Arcielo a granne onore. L'uno fo chiamato Missore Stephano, l'aitro Missore Napulione. Granne fo la festa, granne fo l'onore la in Campituoglio. Ne la Piazza di Santa Maria fuoro sparze travacche e paviglioni. La erano trome & onne instrumento. Bedesi rompere d'aste, eorrere de cavalli, e pettorali de sonagli. Moite erano le banniere. Più erano le resconescanze. Moita festa se fava. Moito li fo fatto onore; nella Chiesa di Santa Maria dell'Arcielo stavano doi lietti li più onorati. Ben pareva cosa reale. Quesse cose me ne ricordo como per suonno. Correvanno Anni Domini MCCCXXVII. Anche li sopradicti Cavalieri va-

—de Militia Domini Stephani Columnae, & Domini Neapoleonis Vrsini.

A tempore insuper exordiar quo laudati duo Barones in Militum Ordinem a Romano Populo cooptati fuere & summo cum decore aqua roseâ perfusi in Sancta Maria Arae Caeli a viginti octo spectabilibus viris. Eorum uni nomen Dominus Stephanus, alteri Dominus *Neapoleo* fuit. Celebris in Capitolio solemnitas ác festivus ingens honos habitus est. In foro Sanctae Mariae tentoria erecta & expansa cernebantur. Ibi tubarum tympanorum cunctorumque instrumentorum clangores audiebantur. Hastiludia, equorum cursus, tintinnabulorum ad pectora ornatus conspiciebantur. Vexillorum quae deferebantur multitudo ingens erat. Plura edebantur tripudia; multum gaudii ubique. Summo honore in Ecclesia Sanctae Mariae Arae Caeli.

vagniati ne giro allo Re Ruberto a Napoli, lo quale li cense la ſpada. la quale coſa moito diſpiacque a lo Puopolo Romano.

li iidem duo Milites affecti fuerunt. Duo lecti, regiâ magnificentiâ exculti & maximo in honore habiti exſtabant. Horum reminiſcor veluti per ſomnium vidiſſem. Currentibus Annis Domini MCCCXXVII ipſi Milites balneati Neapolim ad Robertum Regem perrexerunt, quos Rex idem enſe cinxit. Id ſane Romanus Populus aegre tulit.

Integrum locum referre placuit ut ritus, ceteraſque ceremonias, quibus ii Milites vulgo (17) *del Bagno* tali donarentur honore, ſimulque *Neapoleonis* noſtri amplitudinem, ac in eum Romani Populi reverentiam oſtenderem.

§. X.

HAEC de *Neapoleonis* genere, aetate, & potentiâ. Nunc aliqua de nomine eiuſque cognomento adiicienda. Qui in Sigillo *Neapoleo*, Guichenonio *Ponce* adpellatur. An *Ponce Neapoleoni* latine reſpondeat, non auſim negare. Item neque adfirmare velim. Hoc unum adnoto, Cardinalem Vrſinum, cuius iam memini in notis ad §. VII, apud vete-

(17) *Equites a Balneo in Anglia in hoc abluebantur ut diſcerent munditiam animi, & corporis ſtudioſiſſime ſectari.* Auct. Libell. de Ordinib. Militar. apud Cl. *Pacciaudum* in Diſs. *De Balneis Vet. Chriſt.* C. IX. p. 32.

veteres novosque Scriptores *Neapoleonem* adpellari, apud Sansovinum *Poncellum*. Florebat Cardinalis amplissimus Clementis V instaurandae Italicae paci legatus, Ann. MCCCVI. At in Sansovini verba nemo iuraverit. *Ponce* arbitrabar ego (nomen Hispanis familiare) e latino *Pontius* manasse. Miram vides vocum similitudinem. E contra, quid *Neapoleo* cum *Pontio*, seu *Ponce*? Si ergo *Ponce* diversum a *Neapoleonis* nomine nomen dicas, perperam dicendum a Guichenonio in adlata Tabula *Ponce* pro *Neapoleone* repositum. Non desunt qui credant, ex *Ponce Pontium*, & exinde *Pontionem* conflari potuisse. Mihi vero contra videtur *Neapoleonis* nomen iis adcensendum quae per Italiae fines barbarico aevo ex ignorantiae latebris ubique erupêre. Horum nonnulla adhuc apud nobilissimas gentes veluti gentilitia habentur, nostrisque temporibus frequenter etiam usurpari consueverunt. *Mundillum* inter Ursinos, *Paninsaccum* apud Trissinos, *Tribù* apud Savornianos, *Barbonem* inter Maurocenos, hisque similia passim invenias. Ea e Barbarorum fontibus manasse frustra monerem. Apud veteres *Bulgarus*, *Farinata*, *Stramatius*, *Vgutio*, *Canis*, *Schinella*, *Zucherus*, hisque similia inter suavissima habebantur (18). Apud Venetos parcius grassata est haec nominum lues. Plurima e Sanctorum praesertim Apostolorum nominibus petita, veluti *Marcus*, *Ioannes*, *Petrus*, nonnulla e Romanis, Graecisve, *Livius*, *Quirina*, *Antonius*, *Tiberius*, *Mauritius*, *Pantaleo*, *Hermolaus*; pauca admodum e Barbaris & haec interdum non omnino in-

(18) Plura adfert Muratorius, eaque perridicula, veluti *Tignosus*, *Bovetus*, *Imbriacus*, *Rubaconte* &c. Quo vero pacto de Nominibus ageretur tunc temporis, ostendit B. Petrus Damianus (*Opusc.* XLVI Cap. VI.) ubi haec legas. *Vt quoniam* Aliprandus *ipse vocaris*!, *ares autem virtus dicitur*---*Deo prandium merearis offerre virtutum*.

incompta. Nolim tamen credas saeculis praesertim decimo propioribus, nobis pulcherrimam peregrinorum nominum seriem defuisse. Haec prae ceteris, veteribus chartis deprompta : *Fuscarus* , *Carosus* , *Margarotus*; *Ordelaphus*, *Gonzo* &c. Verum si cum ceteris Italiae Regionibus nostra conferas , pauca admodum dices; immo citius quam alibi antiquata, & explosa. Haec per excursum . Ad rem redeo . Ex naso & Leone compactum libenter crediderim Neapoleonis nomen. Inter Patavinas familias *Caputvacceam*, inter Bergomates *Coleonam* habes , e qua percelebris *Bartholomaeus* Venetarum copiarum imperator. Eae exemplo sunt. Quonam pacto *Coleonae* nomen efformatum, docent Cl. Fontaninius (19) , & P. Spinus (20). *Coleone* , seu *Coglione* idem est, ait ille, ac *Co di Lione*, seu *Capo di Lione*, *Caput Leonis*. *Codevacca* inquam ego, *Caput Vaccae*. Quisquis probe norit. Exempla lubens mitto. Ea si queras a veterum scriptorum uberrimis fontibus haurias. Interim vero simili ferme pacto *Neapoleonis* confictum nomen adfirmare non vereor.

§. XI.

A Nomine ad agnomen transeo, quo tota clauditur Sigilli ἐπιγραφή. A praenobili , potentique Viro, cui nomen *Vrsus* , Vrsinam gentem fluxisse adstruit

(19) Eloq. Ital.

(20) ——— „ da qualunque di „ questa famiglia seguiva il mestiere dell'armi, si usò di portare Capi di Leoni intessuti nelle „ sopraveste militari——— a lungo andare di tempo (qual è „ l'usanza ; e pecca del volgo) „ l'appellazione e il significato loro di *Coleoni* in *Coglioni* fece „ mutamento . *Petrus Spinus in Hist. Vit. & gest. Barth. Coleoli* I. „ *pagg.* 5.

adſtruit (21) Muratorius, exploſis ineptiſſimis F. Petrarcae, aliorumque fabellis, qui inter cetera veluti olim a Lupa Romulus, ita lacte enutritum ab Vrſa *Mundillam* ex ea gente, copioſe narrarunt. Sententiae, ſummi viri libenter calculum addo. Sed ut hoc evincat Cl. Auctor fruſtra demonſtrare conatur agnomen *de filiis Vrſi* Vrſinae genti ſtetiſſe veluti olim Hebraeis illud pervulgatum *de Filiis Iſrael;* ut non filiis tantum, ſed nepotibus etiam, & pronepotibus ac demum univerſae familiae longo temporum ſpatio perennaretur. Id mihi falſo adfirmari videtur. Cauſſam dico. In (22) Charta ab ipſomet Muratorio adlatâ *ſuper tenimentis Tuſculani,* Romae Anno MCLXXXXI conſcripta, inter Romanorum procerum ſubſcriptiones hanc lego: *Laurentii Thomae de Vrſinis*. In Sigillo vero circa Ann. MCCC (ſatis id arbitror demonſtraſſe) caelato, *Neapoleo de filiis Vrſi* legenti occurrit. Adcedit quod (23) in Litteris a Benedicto P. M. datis Avenione *Neapoleoni Priori Hoſpitalis Sanctis Ioannis Hieroſolymitani de Venetiis—ac Petro Laurentii Altarario Baſilicae Principis Apoſtolorum de Vrbe* Ann. MCCCXXXIX haec habentur *exiſtente dilecto filio Matthaeo de filiis Vrſi*—& paulo poſt *Iordanum* [Rectorem] *de filiis Vrſi fecerunt*. Si ab Vrſo, inquam, praecipuo gentis propagatore, agnomen *de filiis Vrſi* gens Vrſina traxiſſet, non prius *Vrſinam* Anno MCLXXXXI *Vrſo* propiori, poſtea vero *de filiis Vrſi* Ann. MCCC Vrſo remotiori adpellatam legeres. Sed e contra omnino. Id enim, ni fallor, recta ratiocinandi methodus poſtulare videtur. Rur-

(21) Ant. Med. Aev. T. III. pag. 788.
(22) Ibid.
(23) Vide in Cod. Diplom. Sacr. Hieroſolymit. Ordinis T. II p. 84. Charta profertur ex Archiv. Vatican.

Rursus Ptolemaeus Lucensis, Amalricus Augerius, Bernardus Guidonis, aliique plures, qui XII, XIII ac subsequentibus saeculis Vitas Pontificum litteris consignarunt, amplissimam gentem, *Vrsinam* seu *ex Vrsinis* uno ore nuncuparunt ubique; nullibi *de filiis Vrsi* dixere (23). Re vera Muratorius ut sibi faveret, versibus Iacobi Sancti Georgii Cardinalis, qui Ann. circiter MCCCXIII, vitam Caelestini V Pont. Max. exaraverat, vim intulit, ibique pro arbitrio suo *Vrsi* non *Vrsae* utpote legebatur, reponendum censuit. En versus (24)

——————— vox prima loquendi
Est data Levitae, sacro de Fonte Matthaeus
Cui nomen, rubeusque color cognomen avitum
Quod sibi dant homines, genuit quem nobilis Vrsae
Progenies Romana domus ———————

Heic tamen libentius existimarem, illius vitae auctorem fabellam *Vrsae* nuper memoratam pro more temporum illorum innuere voluisse, ideoque nihil ibi immutandum. En ipsiusmet auctoris alterum locum forte data opera a Muratorio praetermissum, ubi frustra aliquid immutare coneris (25)

Ex ipsis devota domus praestantis ab Vrsa
Ecclesiae ———————————

Quod si mihi obiicias quaedam Scriptorum loca, quibus veluti propugnaculis ad tuendam sententiam suam utitur Muratorius, uno verbo reponam, eos omnes post Ann. MCLXXXXI litteris historias suas commendasse, & proinde a nuper adlatâ Romani Senatus

(23) His adde Anonym. Script. *de Gestis Baldevvini* apud Balutium T. I. Miscell. p. 10. Ibi Lib. I. Cap. XIV. legas --- *Post haec Vrsini & Gelphini conglomerati bellum permaximum genti regiae* (Henrici de Luczenburch) *intulerunt*.

(24) Rer. Italic. T. III. p. 622.

(25) Rer. Italic. T. III. p. 648.

natus chartâ eorum testimonia utpote a proposito aliena expugnari, ac prosterni. Auctor Anonymus (26) Vitae Innocentii III Pont. Max. a Murator. adlatus, haec habet: *incentores & auctores fuerunt filii Vrsi*. Et paullo inferius —— *filiorum Vrsi*. Salla (27) seu Saba Malaspina ait: *Dominus Neapoleon, & Matthaeus frater eius de Filiis Vrsi —— Dominus Rainaldus de filiis Vrsi*. His adde, si lubet, alterum eiusdem Sallae seu Sabae locum Muratorio fortasse incompertum ubi legas —— (28) *quidam miles strenuus de filiis Vrsi*. Sed quid inde? Caelestinus III Ann. MCLXXXXI Summo Sacerdotio evectus, annoque MCLXXXXVII vitâ functus est. Hinc vitae Scriptor, Chartae posterior, aeque ac Malaspina, qui Historiam suam ab Anno MCCL ad Ann. MCCLXXVI concinnavit (29). Vt ex agnomine *de filiis Vrsi*, Vrsinos ab uno gentis propagatore Vrso toties memorato, promanasse evinceretur, testimonia adferri oportuerat quibus demonstrari posset eos primum *de filiis Vrsi*, deinde *de Vrsinis* nuncupatos. Sed a Muratorio nimirum praepostere actum; ut ex eo dilucide colligas *de Vrsinis* primum, postea *de filiis Vrsi* usurpatum agnomen. At si percontęris quonam pacto complures generosae illius gentis, hoc *de filiis Vrsi* agnomine uterentur, dicam: eos tantum ex Vrsinis, reapse patre Vrso nomine genitos, (pro barbariorum saeculorum more) patris nomen agnominis loco usurpasse. Vide num probes. Vno, eodemque tempore Sigillum nostrum effingebat artifex, ac Historiam suam exarabat Anonymus Auctor (30) Fragm. Historiae Rom.

(26) Rer. Italic. T. III. p. 622.

(27) Hist. Sicul. L. III. Cap. 20.

(28) Ibid. L. IV. Cap. VIII. pag. 844.

(30) Ant. Med. Aev. T. III.

Rom. superius adlatus, nempe ineunte saeculo XIV. Is *de li Orzini* calamo, ille *de filiis Vrsi* scalpello scribebant. Cur hoc? Si universae genti unum idemque erat agnomen, cur uterque non convenit? Sed en quid contra. *Vrsinorum*, seu *degli Orsini*, commune gentis agnomen erat. *Vrso* patre genitis, peculiare *de filiis Vrsi*. Nec aliter de *Vrsinorum* agnomine actum arbitror ac apud nos ante saeculum X de persimili Maurocenorum nostrorum. Plures *Mauritii* nomine insignes ea tempestate florebant. Aedes, arva, praedia, prata, nemora, hisque similia *Mauritiorum* primo adpellari consuevere; *Mauricianorum*, & *Maurecinorum* postea, de *Morocenis* subinde, ac de *Morexinis* postremo. De rei veritate veteres chartas adhibeo testes, poscentibus indicaturus abunde. Hoc item apud Vrsinos evenisse vix dubito. Plures erant Vrsi nomine, iique percelebres. Ex iis, labentibus annis agnomen conflatum. Hic praecipuus, vel ipso Muratorio teste cognominum fons.



II.

II.

§. I.

DE Sigilli epigraphe, ni forte nimium, iam satis habes. Ad alteram igitur libelli nostri partem, qua de rebus ſeo repraesentatis differendum diximus, properandum.

Quae primum nobis prae ceteris observanda exhibentur, tria sunt. Alesinae stantis imago, Scuta, sive ut aiunt, *Tesserae gentilitiae*, & moles quaedam turribus insignis, intra cuius celsiorem partem veluti sub arcu quodam Matrona in sede locatur. Ab hac exordiar. Descriptioni parco; prae oculis in Tabula habes. Turrium exstruendarum mos apud Italos sequioris aevi perantiquus; iisque praecipue urbibus ubi postea civilibus Ghibellinorum, Guelphorumque dissidiis, res forte potius quam virtute gerebantur. His quum ad muniendas praepotentium privatorum domos & palatia, tum ad ornandas publicas magnorum Principum aulas utebantur. Insignem profero ex Veneto pervetusto (1) Chronico locum. Agit Anonymus Auctor, sub finem, de adventu Othonis Caesaris III Venetias (Ann. circiter DCCCCLXXXXVII) & haec habet. *Ad Palatium (Otho) venit, & omni decoritate illius perlustrata*

(1) Codex MSS. apud Cl. *Apostolum Zeno* Venetae litteraturae praeclarum decus, adservabatur. Is mihi largitus est; & exscripsi, editurus etiam si per tempus licuisset. Plura hinc *Dandulus* noster pene de verbo ad verbum excerpsit, suoque adtexuit Chronico. Codex est plurimi faciendus utpote qui omnium Venetorum Historicorum antiquissimum exhibeat. Vide Hier. Tartarotti Dissert. Epist. *De Auctorib. ab Andrea Dandulo laudatis* pagg. XII *Floruit* (Chronographus) *sub Ducatu Dominici Flabanici hoc est initio saeculi* XI, & Venetorum resgestas persequutus *est usque ad Petri Urseoli II Ducis exitum hoc est ad ann. Aerae vulgaris* MVIII

strata in orientali turre *se cum duobus suis retrudi & servari voluit. Erat sane vili ne agnosceretur, habitu indutus* ———— *Neque fas Duci fuerat cum Imperatore per totum diem* in praedicta turri *manere, ne quis Veneticorum huiuscemodi rei capacitatem posset sentire.* Viden publicas Ducis Aedes pluribus turrium propugnaculis apud nos communitas? Plures inquam; nam quum Auctor Orientalem memoret, Occidentalem, & forte Meridionalem, ac insuper Borealem etiam praetereundo subindicat. De privatorum turribus accipe. Scriptor anonymus *de gestis Baldevvini de Luczenburch* a Balutio (2) editus, lib. I. Cap. IX haec narrat. *Dominus* (3) *Henricus Rex* (VII) *Romanorum una cum Domino Baldevvino in Mediolano praesidens iudicio mortis, sententiam contra Guidonem & filios & fautores horribiliter fulminavit, & inimicorum aedificia, turres,* (4) *mausfeola, ad terram deiiciendo funditus extirpavit.* At Romanae sunt, inquies, quae in Sigillo effinguntur. En igitur ex eodem Auctore de Romanis loca. Cap. XIV. haec adferuntur —— *nam suus* (*Henrici*) *& Domini Baldevvini exercitus Gelphinos imperii inimicos se in monasterio Minorum in Capitolio & diversis* (5) *turribus Romanis resistendi causa observantes, rigidissime invaserunt, muros petierunt, ictibus, sagittis eos capere acriter laborarunt & illi non segnes tela & lapides desupra pluentes, illos obruentes, istos ferientes se multipliciter defensarunt. Tandem Theutonicorum exarsit animositas furibunda qui viriliter* mu-

(2) Miscell. T. I. p. 122.

(3) Deinde coronatus Imperator Ann. 1312.

(4) f. l. *Mansoola*, seu *Mausolaea*.

(5) De Turribus Romanis horum temporum F. Petrarca ita cecinit:
„ E le torri superbe al Ciel nemiche
„ E' suoi torrier di fuor come dentro arsi. Son. CVI. p. I.

muros transcendebant. ——— *& ulterius procedentes, nec hostes nec arma metuentes, triginta turres violentia expugnarunt, & cum gloria triumpharunt*. Uide rythmicae poesis imaginem. Quid plura? Vin de ipsismet Vrsinorum turribus locum? Apud Auctorem nuper laudatum, qui Innocentii III vitam descripsit, haec leguntur (6) ——— *Pandulphus de Subuxa Senator* ——— *cepit* ——— *quandam turrim filiorum Vrsi*. Haec fortasse ex earum numero, quae in Sigillo barbarus artifex repraesentandas suscepit. Cave tamen ne credas a me id pro certo adfirmari. Scio equidem a rudibus, parumque doctis eorum temporum Scalptoribus factitatum quod & nostris etiam pictores facere solent. In Tabularum areis domos, arcus, columnas, absides exornandis operibus pro ingenio effingebant. Hunc ipsum forte morem ab Artifice in Sigillo observatum. In opere musivo Marcianae Venetorum Basilicae, quo D. Ioannis Baptistae martyrium exprimitur, Herodem loco cathedrae sive regalis solii, moli cuidam fenestris ac tectis instructae insidentem videas. Immo & summo aedificii apice disertissimus artifex crucem (ne rideas) conlocavit. Eodem ferme pacto in fronte (7) Codicis cuiusdam mss. publicae D. Marci Bibliothecae, percelebri *Bessarione* Card. iubente, exscripti, vidisse memini Ptolemaeum regali ornatu inter nobilissimas, ac pretiosis marmoribus contectas aedes depictum, ibique astronomiae, pluribus adpositis instrumentis, operam dantem. *Geographica* Ptolemaei complectitur splendidissimus Codex. Nominum similitudo pictorem fefellit, & pro Philosopho, regali diademate adiecto, regem expressit. Turres adsunt in Sigillo PILEI DE PRATA, quod heic caelatum exhibeo. Apud me adservatur. Ibi tamen turres, seu potius arces non in-

C con-

(6) Rer. Italic. T. III p. 564. (7) N. CCCLXXXVIII. G. VI. 5

consulto & pro artificis ingenio effictas, sed ad innuendam inlustris illius Foroiuliensis Familiae dominationem adpositas opinor. In Numis pariter barbarici aevi turres & columnae hisque similia frequenter occurrunt. Verum in iis saepius imagines Vrbium quibus percutiebantur repraesentari iam nosti.

§. II.

A Turribus ad Clypeola descendo. Ad laevam Marchionum Montisferrati Tessera pendet; ad dexteram Vrsinae gentis. Io. Iacobus Chiffletius (8) Stemma Montis-Ferrati *fascia puncea in alveolo argenti* sectum describit. Chiffletio adhaeret Silvester Petra-Sancta S. J. Presb. in opere Romae edito Ann. 1638. cui titulus *Tesserae Gentilitiae*. His non habeo quid addam. Vrsinorum Stemmata praesertim post evectum ad Summi Pontificatus cathedram Benedictum XIII vere μακαρίτην notissima. Hoc unum adnoto, *anguillulam*, quam in hodiernis illius gentis Clypeis observes, in nostro omnino deesse, ut inde colligas labentibus annis superadditam. Si caussam queras, me Davum fateor. At ne ieiune nimis sermonem claudere videar, haec obiter adnoto. Emblemmata quibus seu pingi seu caelari solent Tesserae Familiares seu Stemmata, ut aiunt Gentilitia, ab iis praesertim, quae primum in Clypeis militaribus deferrebantur originem duxisse nescit nemo. At pingendi, ornandique militares clypeos apud Graecos mos vetustissimus; Aeschylo, & Euripide testibus; quorum alter in *Sept.* ad *Theb.* alter in *Foenic.* clypeos Tidaei, Eteoclis, Assaraci, Hippomedontis, aliorumque Ducum symbolis, & lemmatibus etiam insignes elegantissimis carminibus describunt. Haec de Tesseris.

§. III.

(8) Tesser. Equit. Veller. Aure

§. III.

IAM vero ad Matronam nostram, eiusque corporis cultum, redeundum. Parcant qui legent si de hisce verba facturi, longiuscule ab instituto aberremus. De foeminis loquimur, hoc foeminis ubique solemne. Adde rei novitatem qua non infrequenter argumento gratia comparatur, ut non iniucunda plane legentibus futura arbitremur quae in medium proferre in animo est. *Alesinam* ergo vides sub arcu stantem. Arcum alii, alii ostium, alii etiam sedem (Italis *nicchia*) dixerunt. Sed omnes, eo Architectonicae artis genere, quod *Gothico-ornato* indicari consuevit. Velis caput, talari veste & pallio quodam ceterae corporis partes conteguntur. Collum monili, & aureâ bullâ ornatur; dexterâ florem gerit, laevamque pectori admovet, facie ad florem quodammodo conversâ, non secus ac si fidem polliceretur. Quisnam fuerit iis saeculis Romanarum foeminarum cultus, quaeve indumentorum ratio e praelaudato Malaspina diserte discimus. Integrum exscribo locum saepius subinde adlegandum. Narrat is splendidissimam veluti triumphi pompam, qua Romani *Conradinum Conradi* Caesaris filium Ann. MCCLXVII excêpere, & haec de foeminis addit (9): „ Volentesque (*mulieres*) suarum pretiosarum rerum abundantiam quam plerumque sequitur voluptas, ostendere, de domo in domum in „ oppositum consistentem, iactatis ad modum arcus „ aut pontis, chordis & funibus, vias medias desuper non lauro vel ramis arboreis, sed charis vestibus & pellibus variis velaverunt suspensis ad „ cor-

(9) Lib. IV. C. VI. 842.

„ chordas (10) ſtrophaeis (11) flectis, (12) dextro-
„ cheriis, periſcelidibus, (13) arbitris, (14) gram-
„ matis, armillis, friſiis, & diverſorum ac pretio-
„ ſorum anulorum appenſione, diadematum etiam
„ & fibularum ſeu monilium, in quibus gemmae
„ fulgentiſſimae relucebant, burſis ſericis, (15) cul-
„ tris tectis de piancavo ſameto, byſſo, & purpu-
„ ra, cortinis, tovaliis, & linteaminibus contextis
„ auro ſiricoque per totum, iunctis velis, & palliis
„ deauratis, quae doctus opifex citra & ultra mare
„ de diverſa & operoſa materia, carâque texuerat.
Saba ſeu Salla Malaſpina (adnotaſſe memini) Hiſtoriam ſuam ab Ann. MCCL ad Ann. MCCLXXVI perduxit. Heic rurſus adnoto ut pateat narrationis huius aetatem parum a Sigillo noſtro diſtare. En igitur foeminei ornatus armamentaria inſtructiſſima.

§ IV.

HIS itaque poſitis, primum obſervare lubet Aligherium, Petrarcam, Bocatium, Sachettum, alioſque e noſtratibus illius aevi, ſaepius de velis muliebribus mentionem habuiſſe. Eos adito. Apud adatum Malaſpinam itidem; nihilque eſſet propterea ſi hiſce diutius immorarer. Haud nihilominus inficiarer foeminas aliquando, immo & non infrequenter, comae decus inſuper aluiſſe. Ea de re non pauca

(10) *Strophaeum* e Gr. στρόφιον, Latinis *Strophium*, *faſcia pectoralis*. Heic pro *pallio virginali* ſumitur.

(11) *Flecta*, *nexus virgularum*, forte quod Italis *treccie*, *intrecciature*

(12) *Dextrocherium* a Graeco χείρ, & Lat. *dextera*; brachii dextri ornamentum erat viris aeque ac foeminis commune. Dextrocherii uſum diu ſervatum oſtendit *Ant. Vreeus Cedrus* Scriptor XV. Saecul. Sermon. I. *Nam feminae dum molliuntur, dum comantur ornatis eſt. Haec ſegmentis*, *illa corallis*, *haec ſucciao*, *illa ſpatalibus*, *haec dextrocheriis*.

(13) *Arbitra* ignota vox et Cangio, qui *muliebre ornamentum* dixit.

(14) *Grammata*, ſeu *Gramicia*, *limbius veſtis*, Italis *orlatura*, *guernimente*, h. e. faſcia aurea ſeu argentea veſtes ad ora circumambiens.

(15) *Cultris*------*de piancavo ſameto*; cultra hoc eſt *culcita*; *ſameto*, panno oloſerico, *velluto* a ir Murator. de *Textrin*. contecta, & ornata. Vide Cangium in Lexic.

ea admodum in medium adduci possent exempla: Sed si vera fatear, hoc frequentius usurpatum a scortis, pellicibus, iisque e foeminis quae honestioris vitae institutum sectari abnuebant, existimo. Cultui capitis constituendo foeminae ubique insudarunt; & seu vario capillorum cultu, seu alio quovis ornatu fieret, hoc semper in praecipuo habuere negotio. Rursus addam, velum verecundiae insigne, & pudori tuendo foeminis datum, Tertulliano teste, inter pompae ac luxuriantis animi indicia a vaferrimo muliebri ingenio tandem deductum. Matronae nostrae, prout vides, frontem circumambiunt sinuata vela ad humeros usque per cervicem demissa. De vario velorum genere & forma, quibus XV Saeculo Italicae mulieres uti consuevere Laurentius ille Medices liberaliorum disciplinarum tutelare numen, haec iocando cecinit. (16)

„ Cuffie abbiam di più maniere,
„ Chi ne vuol dia danar sù,
„ A Bendoni ed a testiere
„ Pur le tonde si usan più.

Et alibi de Viduis:

„ E viviamo in gentilezza:
„ Chi è velata, e chi ha la trezzn.

Singulari quaedam velorum specimina, quae medio saeculo XIV apud foeminas obtinebant, protulit Guichenonius (17). Nisi teterrimâ immo detestabili Typographorum nostrorum avaritia deterrerer, iterum heic lubenter e Guichenonio proferrem? Viriculi partes calamus impleat. Blancae Burgundicae, & Ioannae Eduardi Sabaudiae Ducis filiae Sarcopha-

 gum

(16) Cant. Carnascialeschi, rec. centioris Edit. 1750. p. 17. e 108.

(17) Hist. Geneal. p. 383. His adde Io. Mussum Chron. Placent. p. 521. --- *Et aliquae* (scribit diligentissimus auctor) *portant vellos de : seta vel de bambaxio, pulcros, subtiles, & albos.* Florebat Mussus ann. circ. 1388.

gum describit percelebris Auctor, itemque ambarum imaginem aere caelatam adfert. Ibi videas principes foeminas obductis capitibus ea plane velorum formâ, qua temporibus nostris Virgines Deo dicatae rigidioris instituti adhuc utuntur. Eas e barbaro aevo deduxisse, nemo ibit inficias. *Bavero*, & *benda* adpellamus. At *Baveri* vocem ab antiquis *Baioariis*, quippe qui tali velaminum genere in foeminis uterentur, num forte deductum? Comae velandae morem & variis intertextis ornamentis Saecul. XV viguisse ostendit *Gabriel Barleta* percelebris aeque ac perridiculus illorum temporum Concionator (18). *Praeterea* (ait) *superbiunt foeminae in vestibus, in novis fozis, & recamaturis. Ex una parte gerunt cultellum, ex alia pectorale. Defficit eis forfex cum malleo; apparerent magistrae officinae ferrariae, portant cornua etiam & cerudellos. Dic mihi mulier: ad quod signum cognosceretur Macharius & Diabolus vestitu Eremitico? certe dic ad grifas & ungues, ita mulier ad cornua*. Et alibi (19): *Dum mulier affert in capite sertum aut velum subtile cum cordelis compositis* ——— Sed iam de capite satis.

§. V.

COLLUM monili seu laxiori torque praecingitur: e torque bulla dependet, medioque matronae pectori pressius insidet. Monilia *in quibus fulgentissimae refulgebant gemmae* in adlato Malaspinae loco memorata legis. Scripturae Sigillum consonat. His ergo nil addam. De bullis ex auro, argentove, haud raro etiam lapillis & unionibus intertextis, plura adferri possent Scriptorum loca. Sed vereor ne toties coctam crambem iterum recoquendam suscipiam. De iis vero quibus Sancto-

rum

(18) Sermon. Fr. Gabr. Barlet. T. I. p. 42.

(19) p. 171.

rum λείψανα vel imagines infigebantur, quaedam obiter congeram. Bullarum usum ab Ethnicis Christiani habuêre. Has apud Romanos ingenua deferebat iuventus. Amuleta, phylacteria, gemmas caelestibus signis insculptas, ac cetera farinae huius nauseosa figmenta ab Ethnicis frequenter sive collo, sive alia quadam corporis parte delata, Eruditi omnes abunde iam norunt. Ad membrorum fortitudinem procurandam, rerumque felicitatem tuendam, perditorum hominum scelesta fraus obtrudebat. Quod vero Gentiles olim superstitiosa docuit credulitas, id candida nobis ac Sanctissima deinde Religio suasit. Haec teterrimam characterum & signorum congeriem, spurcasque turpium imaginum figuras delevit; piis impia, detestanda sanctis, castisque obscêna rependens. Horum, quae Graecis Προβασκανία, & postmodum *Chrysobullia*, veluti *Cangio* placet, viris aeque ac foeminis communis usus ubique. Graecos Imperatores sacras imagines gemmis exsculptas, adiectis Sanctorum reliquiis, catenulisque aureis collo appensas solemnioribus diebus gestasse narrat Guntherus Cisterciensis Monachus. Eas *veluti certum imperii pignus* ostentabant (20). Bullam auro gemmisque fulgentem Romae in tumulo Mariae Stiliconis filiae detectam Vitraeus (21), Munsterus (22), Suaresius (23), & ex iis Cl. Paciaudus (24) memorant, eamque cereo orbi custodiendo comparatam ostendunt. De sorore D. Gregorii Turonensis quid simile apud Severum Sulpitium (ni fallor) legisse memini. His adde laudatum Paciaudum, (25) qui nuper ex Museo Oliverio

(20) Hist. Cpolitan. apud Canisium Antiqu. Lect. T. V. p. 393.
(21) T. Fl. Clement. Tumul.
(22) Cosmograph. Vnivers. L. II.
(23) Coroll. II. de Agn. De- Cap. VII.
(24) De Sacr. Christ. Balnei Cap. IX. p. 34.
(25) Ibid.

thecam argenteam, adiecto schemate, protulit, & luculenter, prout solet, inlustravit. Ea matronae nostrae aetati propius accedere nobis visa est. Et memoratum Ioann. de Mussis qui l. c. haec habet — — *Sunt plures Dominae & homines iuvenes qui portant ad collum torques, & circlos argenteos sive deauratos, vel de perlis vel de corallis rubeis*. Demum in Testamento cuiusdam Matthaei Calbani de Venetiis nuper a me edito, annoque MCLXXXXVII conscripto, haec legas (26) ——— *habeo Crucem unam de auro habentem intus lignum Domini, & Bullam de auro in modum ycone cum ipsa cruce & porto mecum ad monasterium*. Eam ergo quae *Alesinae* nostrae pectori adhaeret, inspectâ praesertim circulari formâ in harum numero statuendam libenter crediderim.

§. VI.

DVPLICI vestium genere nobilis matrona contegitur. Alteram interiorem (syrma dixissent Latini) nostrates primum *Togam*, seu mavis *Tunicam*, deinceps *subtanum*, & *gonna* (27) dixêre. Alteram exteriorem quam *Pallium* Veteres, *Mantellum*, *Guarnacca* seu *Guarnaccia*, & forte etiam *Cotta* pro vario temporum, ac locorum more, recentioribus audiit. Tunica igitur ab humeris ad pedes usque, immo pedes ipsos praeterfluens in longos sinus eleganter composita excurrit. Adeo Florentiae huius, ut ita dicam, laciniosae vestis libido percrebuerat, ut, teste Ioanne Villanio (28) publice cautum fuerit —— *ne imposterum foemina quaevis vestes deferret, quae terram verrendo duarum ulnarum mensuram*

(26) Origin. e Antich. Monet. Vinizian. p. 20.

(27) *Le maggiori donne Fiorentine passavansi d'una gonella assai stretta di grosso scarlatto di Pro, e di Camo cinta ivi su d'uno scagiale all'antica*. Ioann. Villan. Hist. Lib. VI. Cap. 60. pagg. 39.

(28) Hist. Lib. X. p. 154. — *che nulla donna potesse portar panni lunghi dietro più di due braccia*.

vam ultra talos excederent. Simili ferme pacto Mutinae in foeminas animadversum testantur Statuta praeclarae illius Civitatis Ann. MCCCXX a Muratorio adlata (29). Nullâ praecingitur zonâ seu fasciâ, nisi forte (quod satis deprehendi non potest) sub axillas, ut iis temporibus non raro consuevit. Num vero ad pectus interior haec vestis ita dehisceret ut exertam mammillarum partem inspicientibus exhiberet, veluti postmodum factum scio, adfirmare non ausim. Harum vestium genus Hetrusci *scollate*, *sgolate*, & *scollacciate* (30), hoc est ad collum seu ad guttur dehiscentes, dictitarunt. Quarum Dantes in divina comoedia hisce versibus usum improbat. (31)

„ O dolce frate, che vuoi tu, ch'io dica,
„ Tempo futuro m'è già nel cospetto,
„ Cui non sarà quest'ora molto antica.
„ Nel qual sarà in pergamo interdetto
„ A le sfacciate donne Fiorentine
„ L'andar mostrando con le poppe il petto.
„ Quai barbare fur mai, quai saracine
„ Cui bisognasse per farle ir coverte
„ O spiritali o altre discipline?
„ Ma se le svergognate foser certe
„ Di quel, che il Ciel veloce loro ammanna
„ Già per urlar avrian le bocche aperte.

Quae ita Cl. Carolus Aquinas vertebat (32)

——— *pudet at linguam memorare quod horret*

„ *Nu-*

(29) Ant. Med. Aev. T. II. 424.

(30) Boccat. in Admer. 21. *Mostrava il candido petto, del quale, mercè del vestimento cortese nella sua scollatura, gran parte se ne apriva a' riguardanti.*

(31) Purg. XXIII. 2.

(32) La divin. Comm. di Dant. Aligh. trasportata in versi Lat. da Carlo d' Aquino della C. di G. Napoli 1728. 8.

Numinis afflatu quod si mens praescia veros
Praesagit sensus, non lentas auguror alas,
Lustra movent acri quum probra inaigna vetabunt:
Praecones, nudis elataque pectora mammis,
Et foeda indictis damnabunt crimina poenis.
Quod non mollis Arabs passus, non barbara tellus
Cui pudor & castus suadet reverentia cultus
Naturae hortatu tacito. Ventura procaces
Quod si damna queant coetus praenoscere moestis
Iam nunc inciperent implere ululatibus auras.

Ex his itaque suspicio mihi suboritur remotioribus saeculis nostrates foeminas pergratam mammarum pompam castiori institutione celantes, avidis virorum oculis subduxisse, ac tantummodo florente iam Aligherio denudasse, eo vestium genere utentes quas *Cyprianas* (33) adpellavere. Verum non tam perspicue in Sigillo vestem caelator expressit ut certo dignosci possit num lineolâ illâ, quae transverso matronae pectori inhaeret, extremam vestis oram dessignare voluerit, an potius funiculum, quo, ne retro flueret, pallium obstringi consueverit. Ceterum vestes holosericas, & variis distinctas coloribus, interdum etiam auro fulgentes, mulieres barbaricis saeculis gestasse, aperte produnt plurima Scriptorum loca, e quibus insequentia excerpsimus. Theodulphus Aurelianensis lib. I. Carm. ap. Cangium.

Huic (ait) *ferruginea est apta, huic quoque lutea vestis,*
Lacteolum strophium haec vehit, illa rubrum,

Et Petrarca noster in nitidissimo Carmine, sive Ode, cuius initium

(34) „ Verdi panni sanguigni oscuri e persi
„ Non vestì donna unquanco, „ Nè

(33) *Sed habent* (ait Mussus toties laudatus) *alia indumenta inhonesta quae vocantur* Cyprianae, *quae sunt largissimae versus pedes, & a medio supra sunt strictae--- Quae Cyprianae habent gulam tam magnam quod ostendunt mammillas, & videtur quod dictae mammillae velint exire de sinu earum. Cyprianae* ab Insula Cypro unde Italiam fortassis advectae, nomen habuerunt. Viden quam bene conveniat harum vestium descriptio cum veste matronae nostrae?

(34) P. I. Canz. VI.

,, Nè d' or capelli in bionda treccia attorse ——

Ludovicus Pulcius in Poemate, cui titulus il *Morgante Maggiore*, de *Anthaea* cecinit

(35) ,, E quanto più potea si facea bella,
,, Misesi indosso una leggiadra vesta
,, Ove fiammeggia d' oro alcuna stella
,, Nel campo azzurro molto ben contesta,
,, Di seta ricca —— —— ——

His adde si lubet praelaudatum Malaspinam scribentem (36) *vestes splendidae, ac diversis coloribus radiosae*.

§. VII.

TUNICAM Pallium contegit & hoc, ni fallor, Variorum pellibus subsutum. Ita mihi visum; etsi, ingenue fateor, non defuerint qui crederent non Variorum pelles, sed bullas, seu frixa (fregi) quae aureae argenteae, gemmeae, & interdum etiam vitreae ad vestium oras ut splendidiores viderentur, adnectebantur. Clavos etiam Veteres adpellavere. Sed bullae seu clavi (37) circulares erant. Contra, quae heic vides, quadrata ferme, seu si mavis oblonga sunt. Rursus Variorum pelles segmentis quibusdam consutas albicantibus partim, partimque nigricantibus constant. Eas hoc pacto, meliori quo potuit modo, barbarus caelator expressit, ac stigmata, ut ita dicam pro segmentis posuit ut variegatas & propriis quodammodo distinctas coloribus repraesentaret. Adcedit quod nimirum Palliorum huiusmodi, iis saeculis, apud foeminas aeque ac apud viros mos ubique obtinebat. Villanium testem profero (38) —— *& nota che al detto tempo del Popolo* (vergente nempe Saeculo XIII quum Ci-

(35) Cant. XVII. St. 10.
(36) Lib. V. Cap. VI. p. 862.
(37) Apud Guther. de Offic. Dom. August. a Murat. laudat. Ant. Med. Aev. T. III. Diss. de Sigill.
(38) Ioann. Villan. Hist. Lib. VI. Cap. 69.

Civitas Democratiâ regeretur) *le donne Fiorentine portavano un mantello foderato di Varo ——— e le communi andavano vestite di un grosso verde di cabragio per lo simile* . Villanio Mussum addo : *Qualibet Domina habet usque in tribus mantellis ad plus, unum de blavo, unum de paonacia de grana , & alium de zamellotto undato —— & aliqui sunt fodrati de variis*. Obiter adnoto colorem violaceum qui Italis *pagonazzo*, o *pavonazzo* , a pavonum pennis forte derivatum. De viris itidem (39) *Fatta la dimane levaosi su lo Tribuno vestito di scarlato con vari* . Et paullo post (40) *Et deo* (Tribunus) *a ciascheduno una bella robba foderata di Varo adorna* . Postrema haec duo loca e Vita Nicolai Laurentii (*Cola di Rienzo*) Romani Tribuni excerpsimus. Auctor anonymus & coaevus Ann. circiter MCCCXXVII haec litteris consignabat . Pelles insuper pretio & raritate conspicuae saepius dignitatis insigne apud principes viros , Episcopos , Milites , Doctores aliosque apud Italos, exterosque habitae sunt, veluti & nostris etiam temporibus . Mitto Reges , proceresve Gothos, de quibus Claudianus (41)

——————— *revocant fulvas in pectore pelles*.

Et

—— *Moerent captivae pellito iudice leges*.

Mitto ceteros eiusdem nationis homines, de quibus Synesius (42) *Illi autem* (Gothi) *paullulum curia egressi , rursum pelliceas vestes sumunt, togamque ubi inter comites fuerint derident, quacum stringendi ensis , expeditam esse facultatem negant*. & Ansprandum Langobardorum Regem , qui teste Paullo Vvarnefrido (43) *pelliciis utebatur*. Mitto *Mastrucas*, *Crosnas* seu Cro-

(39) Cap. 26. p. 452.
(40) Ibid. p. 445.
(41) Contra Ruff. Lib. II. v. 77. & de Bell. Get.
(42) In Orat. de Regno ad Arcad. p. 23.
(43) De Gest. Reg. Langbard. Lib. V. Cap. 35.

Crosinas, *Pellitia*, & *Pellitiones*, de quibus praeclare Donizo (44) apud Muratorium

Rex (Heinricus) *sibi Mastrucas post escam maxime pulcras Donavit, florent pariter quoque Pellitiones.*

Mitto tandem universos Ecclesiae Antistites quos ita monebat in Epistolâ sua Ann. circiter MCLXXXXVII Heinricus Episcopus Albanensis (44) ——— *non plus calcaria quam altaria fulgeant* —— *in vestibus abiiciant Clerici Varia*, *Grisea*, *Zebellinos*, *& peiliculas eiusmodi grandis pretii* . Unum tamen Monachi Sangallensis locum a Muratorio adlatum prae ceteris fusius exscribere lubet , quo alterum Veneti vetustissimi Chronici superius memorati egregie inlustratur . Narrat igitur Monachus (45) Carolum Magnum *ad urbem Friulanam* pervenisse , ibique invenisse Foroiulienses proceres complures . *Ipse quidem Carolus habebat pellicium berbicinum* ——— *ceteri vero utpote* (46) *feriatis diebus & qui modo de Papia venissent*, *ad quam nuper Venetici de transmarinis partibus omnes Orientalium divitias advectassent* ——— *alii de Lodicibus* , *quidam de Gliribus circumamicti procedebant*. En pellium usus Saeculo IX Italis familiare . Vidistin insuper Venetici *omnes Orientalium divitias Papiam* Sae-

(44) *Invectus autem fuit*, Muratorius ait, a *Septentrionali gente in Italiam pellium usus*. Si plura cupis consule eius Diss. *de Textrina*. Ant. Med. Aev. T. II. p. 412. Mihi vero aliter omnino videtur quum & apud Romanos pellium usus obtineret. Plaut in Men. 2. 3. 63. *Pellionum*, qui vestes pelliceas faciebant, meminit. Dici forte debuerat non *invectus* sed communior redditus *pellium mos a Septemtrionali gente*. Ab hyeme etenim & frigore, qui homines pellibus indui docuerunt, harum vestium origo querenda. In Cod. Theod. Tit. *De habitu, quo uti oportet intra urbem*. L. 4. haec habentur *Maiores crines*, *indumenta pellium* - - *intra urbem* - - *praecipimus inhiberi*.

(45) Apud Marten. & Durand. Miscell. T. I. p. 975.

(46) De Reb. Bellic. Caroli Magn. Lib. II. Cap. 27.

(47) Feriatos dies pro festis & solemnibus barbarie temporum Mochum heic scripsisse opportune monet Cl. Murator.

Saeculo eodem advectantes? Prodeat iamnum Auctor Chronici (48). *Inquisitio facta est de palliis quae portabantur per loca Italiae. Veni ego Otho* (Vrsiolo) *Dux in publico placito cum maiores iudices nostrae terrae mediocres & minores, testificaverunt Badoarius Bragadino, & Mauricius Mauroceni & Dominicus Florentius Flabianicus, quod in nullis partibus Italiae debuissent pallia portare nec venundare nisi a Papia & a mercato Sancti Martini & Olivo*. Otho Vrsiolo Anno MIX Dux fuit renunciatus. Sed a viris ad foeminas redeo. Eâ Venetae Marcianae Basilicae parte, cui nomen *Cappella del Battisterio*, complura rudiorum Saeculorum opera musiva conspiciuntur. Haec inter duo prae ceteris ad rem nostram facere visum, quibus martyrium Sanctissimi Praecursoris Domini, aetate & iussu Andreae Danduli Veneti Ducis (hoc est anno circiter MCCCXLII) non omnino ineruditi repraesentarunt artifices. Ii ad vivum omnia, immo ab ipsamet naturae veritate hausta eo picturae genere exhibere conati. Bis ibi Herodiadem expressam videas & lyncium pellibus magnifico apparatu exornatam. Veste amicitur purpureâ, auroque sparsim intextâ, a femore ad talos dehiscente, & hiatibus lyncaeâ pelle ad oras utrinque subsutis. E lacertis ad genua binae item pelliceae vittae manicarum loco propendent. En igitur pellium mos eo tempore foeminis aeque ac viris usurpatus. Adlatis, pro coronide, locum addo ex Antonio Alamannio depromptum, quo pellium usum apud foeminas Saeculo quoque XV haud obsolevisse immo late diffusum ubique perdurasse demonstretur (49). Vxores, ait ille

„ Voglion Zibellini e Dossi
„ Guanti, Martore, e Bassette

„ Pan-

(48) p. 32. (49) Cant. Carnascial. p. 152.

„ Panni neri, bigi, e rossi.

Silentio demum praeterire nolim me aliquando observasse in Epistola *Adae* cuiusdam *Abbatis Perseniae* nuptiales vestes pellibus ornari interdum consuevisse (50). Haec eius verba. *Vestis haec nuptialis internae splendor est* ——— *dilectio pellibus comparatur, quae panno ut vestis fiat calidior assuuntur.* Heic vero auctor loqui mihi videtur de vestibus nuptialibus, quibus Monachi priusquam Monachales assumerent tunc temporis induebantur.

§. VIII.

SED iam tempus est ut paucis de flore quem gerit Alesina adiectis, finem libello nostro imponamus, ne lectorum nostrorum patientiâ abutentes, id nobis iure vitio verti videatur. Si florem conferas cum Rosa, quae Vrsinorum Tesserae Sigillo inhaeret, nullam propemodum differentiam deprehendas. Florem ergo Rosam esse ad innuendam praeclarissimam Vrsinorum gentem, cuius thalamos regalis matrona ingressa iam fuerat, mecum dicas. Quod si haec tibi minus arrideat, alteram addo caussam cur heic adpositus flos. In Sigillo *Alis Comitissae Palatinae* a Guichenonio relatum (51) Alis lilium eius plane formae, quae Gallis *la fleur de lys* dexterâ gestat. Rursus (52) *Elisabeth Achaiae Principissa* in alio Sigillo apud eumdem Guichenonium, nostro simillimum florem tenet. Eodem ferme pacto in duobus Sigillis, *Sibillam de Baugè* Amadei Magni, Sabaudiae Ducis Vxorem flores gestantem videas. Capite velato percelebris mulier repraesentatur, Sigillorum aream floribus, frondibusque tegentibus. Quod insuper animadvertas velim in pluribus Si-

(50) Apud Balutium Miscell. T. 1. p. 429. Quo saeculo Auctor floruerit mihi adhuc incompertum. E stylo tamen ac Latinae Linguae ratione XII, vel XIII statuendum putarim. Vid. du Pin in Bibl.

(51) Pag. 237.

(52) Isabelle de Villeharduin.

Sigillis a Cl. Mabillonio (53) exhibitis. Hinc ergo colligas florentem iuventutis vim, seu rerum publicarum, subiectarumque gentium conditionem optimam, floribus frondibusque consparsis bene ominari artifices principibus viris, foeminisve voluisse. Nec illud etiam praetereundum foeminas nostrates vultui molliendo, crinibus componendis, naribusque oblectandis plerumque variis delectatas odoribus, ac bene olentibus unguentis. Quae omnia Agnellus Ravennas unâ tantum voce complexus (54) *Olfactoria* dixit. Haec inter floribus quoque non ultimum Veteres dedisse locum facili coniecturâ censendum. Quin etiam hoc subindicare videtur Poeta (55) ille, qui (56) Crescimbenio omnium fortasse primus inter Italicos habetur, qui maternâ linguâ versus concinnarint. En versus;

„ Rosa fresca aulentissima,
„ Che appari in ver l'estate
„ Le donne te desiano
„ Donzelle e maritate.

Sed heic tandem lucubrationi nostrae finis esto. Quae mihi veriora aeque ac iucundiora scitu visa sunt, quaeque aliis usui fore credidi quam paucissimis potui, perscripsi. Plura, nec me fugit, Romanis, Graecisve fontibus deducta addi poterant. Sed mihi barbaricum proponi argumentum sedulus memini. Quaenam mihi sit valetudo, quaeve oculorum, & ingenii acies, ut faciles erranti ignoscant, iam bene norunt litterati, amicique Viri. Satis mihi fecisse videar si neminem offendam, qui illud Minervae apud Callimachum iterum mihi occinat.

Δωσῶ καὶ μέγα βάκτρον ὅ τι πόδας ἐσδέον ἄξει.

(53) Pag. 338.
(54) Vit. Damian.
(55) Ciullo d'Alcamo.
(56) Comm. Volg. Poes.

FINIS.

Addenda, & emendanda.

Pag. X. ad finem §. VIII. adde

Haec iam typis commiseram, quum mihi longe aliâ de caussâ Vitas Pontif. Romanorum ab *Anastasio Bibl.* conscriptas sedulo versanti, occurrit Marmor ab Cl. Viro *Franc. Blanchino* eximio illius operis inlustratore adlatum in Praefatione T. III. n. III, quo mancam & male consarcinatam Tabellam a *Sansovino* editam dilucide agnovi; simulque, ingenue fatear, eam, quam ego coniectando subieceram. Tabula marmorea reperta Ann. MD CCXXVII, inde in Capitolinas aedes iussu Benedicti XIV translata sic habet.

✠ AÑO DÑI. M. CC. LXXVIII. SCISSIMVS PAT DNS NICOLAVS. PP. III. FIERI FECIT PALATIA ET AVLĀ MAIORA ET CAPELLĀM. ET ALIAS DOMOS ĀTIQTAS ĀPLIFICAVIT PONTIFICATVS SVI AÑO PMO. ET AÑO SO POTIFICAT SVI FIERI FECIT CIRCVITV MVRORV POMERIJ HVIVS. FVIT AVT P DCS SVM POTIF EX NATIOE ROMAÑ EX PTRE DÑI MATHI RVBEI DE DOMO VRSINORVM.

Eo itaque loco, quo ego *Gaitanum*, vel *alium quempiam* interserueram, ope Lapidis reponendum censeo *Mathaeum*; sed tali pacto.

Mathaeus ann. 1150.

Vrsus

Mathaeus *Nicolai III pater.*

Pag. XIV. Hi Senatui-illi — Hos Senatui-illos

XXXIX. Venetici — Veneticos

Ib. in Not. Querenda — Quaerenda

Cetera si quae sunt sphalmata aequis Lectoribus dimittuntur.





